

1557

*Pontificii &
Columna
proffigati .
Guisus
exercitum
Romam ver-
sus ducit .*

ad opem Paliano ferendam , annonam , atque bellicos apparatus importandos mittit . Hos medio itinere Columna adoritur , qui statim in fugam , turbatis ordinibus , coniectis , compluribus Helvetiis caesis , nonnullis amissis vexillis , relicto commeatu , in Segniam praecipites se protrudunt , atque inde Romam revertuntur . Strozzius in Italiam reversus , Regis mandata detulit , quibus ex Pontificis sententia bellum administrari jubebatur ; igitur Guisus e Piceno movens , Romam iter intendit , illum Spoleti Petrus Strozzius , atque Caraffa Cardinalis secum de belli ratione acturi adiere .

*Michael
Surianus
ad Philip-
pum Regem
orator .*

Dum alternis eventis inter pontificios , atque Hispanos decertaretur , nunquam de Pauli , ac Philippi conciliandis animis negotium Senatus intermiserat . Sæpius Pontificem per Naugerium legatum hortabatur , ut , abjectis de bello consiliis , omne studium ad pacem conferret , neque diutius illud augeri virus sineret , quo Ecclesiae opes inani fructu exhaurirentur , & universa Italia contabesceret ; cum eodem tempore Subalpinæ regiones , Cisalpina Gallia , Hetruria , atque Ecclesiae ditiones eo incendio conflagrarent . Sæpius pacem Philippo Regi per Michaellem Surianum oratorem suadebat , quod nullum ex eo bello fructum , nullam sibi laudem pareret . Erat in Paulo perplexa , atque ambigua mens , quæ ex fortunæ varietate modo in spem attolleretur , modo dejecta concideret . Itaque nonnunquam adeo in pacem proclinatus videbatur , ut se a Senatus consiliis minime discessurum diceret ; aliquando bellum ita meditabatur , ut jam spe Neapolitanum regnum præciperet . In hac vero sententia labantem Caraffæ nepotes erigebant , ac sustinebant , qui ingentes opes , ac titulos ex armis ad se perventuros vana spe imbuti sibi pollicebantur . Accedebat pontificiæ dignitatis majestas , gentisque fastu elatus animus , quibus demittere se se , atque e præcelso folio descendere , dum concordiae conditiones tractaret , existimabat ; ut propterea cum Albano Duce colloquia averfaretur , ac ni a Philippo , qui se supplex adiret , mitteretur , nihil facturum diceret . In Rege magna ad pacem inclinatio , dummodo illam honestis conditionibus sancire posset ; summa erga Pontificem veneratio , ac studium : non a certo homine ad Paulum mittendo abhorrere ; totum pacis confi-

ciendæ